

LECTURIS
O 22

FORUM INIQVITATIS,
 QVOD
 DE INNOCENTISSIMO
SERVATORE MVNDI
 SUPPLICIUM OMNIUM ACERBISSIMUM
 SUMERE SUSTINUIT,
 IPSA SOTERIORUM CHRISTIANORUM DIE
 A. R. S. M DCC. VIII.

ACTU ORATORIO
 H. Lq; CONSVETIS PRÆSENTATUM IRI
 INDICUNT:
 UTQVE
 SOLENNIA ISTA
 PROCERES REIPUBLICÆ THORVNENSIS
 ALIIQVE LITERARUM FAUTORES CENSURAM DE CEN-
 SURA INIQVISSIMA ÆQVISSIMAM AUDITURI, PRÆ-
 SENTIA SUA GRATIOSA DIGNARI VELINT,
 PERHUMANITER ORANT
 GYMNASII THORUNENSIS
 RECTOR & PROFESSORES.

LECTURIS S. & O.

Neminem, nisi forte à cœtu fidelium segregatum & à vera Christianorum fide abhorrentem, fore credimus, qui negare ausit, universum mundum, postquam par hominum primum in horto amoenitatis innoxam deflexit, contraxitque turpissimam maculam omnes in posteros propagandam, pro Foro Iniquitatis esse. Etenim hāc ipsa primorum parentum noxā magistrā universi homines peccare tantum didicisse, atque peccatum amare, quo perditū sunt, nequid nati videntur. Ex tanta bonorum coelestium possessione à parentibus omnium viventium regno, capite & quod deterius, innocentia diminutis, facta semel sanctitatis & justitiae exactæ jacturā, posteris in omnem generationem præter peccatum, calamitates, dolores, inopiam, ipsamque mortem ut satellitum culpæ, pro hæreditate relictum est nihil. Omnibus ac singulis hominum aliquid, imò multum plurimis inest vitiorum, quibus Divinam offendunt Majestatem, laedunt proximum & laeduntur ipsi. Testes hujus rei sunt Deus, Prophetæ & Apostoli omni exceptione majores: quorum effata in S. Codice consignata leguntur talibus verbis: *Sensus Et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, Gen. VIII. 21. *Videns Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra*, Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore Gen. VI. 5. *Quis potest dare mundum de immundo?* Job. XIV. 4. *Quid est homo, ut immaculatus sit, Et ut justus appareat, natus de muliere?* Ecce sanctos inter eum nemo integer, Et cœli non sunt mundi in conspectu ejus! *Quantum magis abominabilis Et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem* Job. XV. 14. *Facti summus ut immundus omnes nos, Et tanquam vestimentum iniquitatem universæ justitiae nostræ.* Es. LXIV. 6. *In omnes homines mors pertransiit, quandoquidem omnes peccarunt.* Rom. V. 23. *De corde excent cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonio, blasphemie* Matt. XV. 19. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Gal. III. 22. Confer. I. Reg. VIII. 46. Psal. XIV. 3. Psal. LI. 7. Eph. II. 3. Gal. V. 19. Ex tanta testimoniorum clarissimorum multitudine luce meridiana clarius elucet, quod pro Foro Iniquitatis sit universus mundus, sive omnes homines, qui operantur iniquitatem. Et hæc ipsa iniquitas totius generis humani causa fuit Christo tam cruentæ passionis ac mortis, innocentissimo. Idque Salvator olim passurus multa ante secula per Esaiam Cap. XLIII. 11. prædictum his verbis: *Servitute premis me propter peccata tua, fatigas me iniquitatibus tuis.* Idem asseveravit Prophetarum gravissimus firmissime Cap. LIII. 5. Sic locutus: *Ipsè dolore afficitur à defectionibus nostris, atteritur ab iniquitatibus nostris.* Quamvis autem culpâ totius mundi, adeoque omnium hominum Salvator

vator innoxius fuerit plexus; attamen si accuratiū in speciem & in-
dividua inquiratur, aliud adhuc in mundo Forum insigniter iniquum,
& homines in illo perditissimos, insidiarum principes & auctores reperi-
re haud erit difficile. Illud fuere Tribunalia Sacra & profana Hiero-
solymæ olim Areopago justiora, tunc autem omni justitiâ destituta &
iniquitate polluta: qvæ suo tempore Regum Sapientissimus & Eccle-
siastes atro notavit carbone, Cap. III. 16 Sic scribens: *Nam adhuc respi-
ciens sub sole: loco juris, ibi improbitatem; loco inquam justitiae, ibi im-
probitatem esse.* Insidiarum & parricidii principes atqve auctores fue-
runt Proceres Ecclesiæ Judaicæ, nominatim Annas & Caiphas cum Scri-
bis, Pharisæis & Senioribus populi, assentatoribus suis, Judæorumqve
multitudine impetu facile mobili: nec non Herodes Rex magis nomi-
ne qvam re, & Pilatus Judææ Præfectus: In qvos omnes Propheta Re-
gius Ps. II. 1. sic invectus fuit: *Quare fremuerunt gentes, & populi
meditati sunt inania: Adstiterunt Reges terra, & principes convenerunt
in unum adversus dominum & Christum ejus.* Horum consilio, decreto
& manibus crudelissimis de innocentissimo Redemptore sumptum fuit
supplicium iniquissimè crudelissimeqve. Horum qilibet studium
Iuum ultrò contulit ad perdendum eum, qvi venerat servare, qvod
perierat. Nam cum jam matura in perniciem innocentis essent consilia,
& fatum, cujus immutabilis sors est, appeteret, sollicitis adhuc
Sacerdotibus, qvo duce scelus cogitatum exequerentur, commodùm
supervenit Judas, filius ille perditionis, iniquitatis coryphaeus, desertor,
transfuga & proditor Domini sui factus: Qvi postqvam proditionis in
mercedem triginta siclos stipulatus fuit, armato Sacerdotum satellitio,
quantum sat erat ad capiendum non inermem, sed armatum latronem,
stipatus, osculo perfidiæ ac simulationis prodidit fidelitatis Doctorem
& in manus peccatorum tradidit ab omni peccato immunem. An-
nas & Caiphas Summi per vices unius anni Sacerdotes Jesum Sacerdo-
tem in æternum criminum capitalium arguerunt, & licet flagitiosum
nihil expisci potuerint, facultateqve judicandi de causis capitalibus
destituti fuerint; tamen Judicem supremum & irrefragabilem capitum
damnarunt. Similiter Judices suppedanei Scribæ, Pharisæi & Seniores
populi, putantes, in unius IESU morte sitam esse omnem salutem suam,
& auctoritatem traditionum suarum, ad exemplum Procerum suorum
pronunciarunt injustè de capite ejus, qvi vivos mortuosqve, atqve hos
suos judices olim judicaturus est justè! In eandem qvoqve iverunt sen-
tentiam Testes, falsis criminibus adversus innocentem à Sacerdotibus ad-
struci. Fecit cum his & multitudo Judaica, qvæ furentibus Principibus
suis nimiâ insania simul furere cœpit, eumqve, qvem non ita pridem lœtis
acclimationibus exceperat, verso in rabiem amore ad supplicium depopo-
scit, de omnibus bene meritum. Herodes Antipas Judææ solum Rex Regi,
qvi à mari dominatur ad mare, qvòd prodigium pro voto ipsius ederet
nullum, illusus, eumqve ad Pilatum remisit judicandum, in qvem ipse
juris nihil habebat. Pilatus denique Præfectus Judææ, probè gnarus,

Chri-

Christum sola Sacerdotum invidia à Judæis sibi traditum esse, monitus ab uxore innocentia teste, culpa inventa nullā, voluit eum confessim à judicio liberatum dimittere; mox autem seditionis Sacerdotum populique Judaici vocibus deterritus, metu seditionis & offensionis imperatoria, post multa ludibria, fannas & sibila vulgi, Judæorum odio & furore captum, vincitum, in jus raptum, accusatum, consputum, cæsum, purpuratum, coronatum, damnatumqve satellitibus tradidit cruci affigendum: in qva etiam tandem contumelias & cruciatus ornes, qvos orci furor commentus est per Judæos & gentes, perpeccus, vitam sanctissimam humani generis Hostiā posuit. Atqve hæc fere sunt, qvæ nunc sub censuram venient, & à nonnullis Classium Superiorum Auditoribus Prolusionibus propria industria elaboratis, servatæ Historiæ Passionalis serie, hoc exponentur ordine:

Nathanael Schwantes, Gedanensis, argumentis orationum habendarum breviter præmemoratis, Auditorium ad benevolam attentionem perhumaniter invitabit.

Christophorus Kochius, Thorun. Scelus Judæ atrocissimum reprehendet.

Johannes Georgius Zöbner/Thorun. Annam & Caipham summos Pontifices de malè judicato arguet oratione ligata.

Simon Gleinig, Thorun. Scribarum & Pharisæorum preceps consilium de tollendo Christo damnabit.

Johannes Fridericus Thomas, Thorun. Testes falsis criminibus adversus innocentem Jesum adstructos refellet.

Georgius Austen, Thorun. tam repentem Populi Judaici consternationem & furorem improbabit.

Georgius Henricus Czimmermann, Thorun. In Herodem Regem Pilatum & Judææ Præfectum tanquam Judicem iniquissimum invehetur.

Michael Adami, Thorun. præcipua causa Passionis & mortis Dominicæ memoratâ, gratias Auditorio aget maximas, Feriasqve Paschales precabitur faustas.

• 6) O(50

113544